

C. IVLI CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER QUINTVS

El **Libro Quinto** presenta dos partes contrapuestas: los veintitrés capítulos iniciales están dedicados a la segunda expedición a Britania; los treinta y cinco restantes se ocupan de las revueltas en el nordeste de la Galia. A decir verdad, el segundo grupo corresponde al invierno del 54-53, con lo que el libro V, correspondiente a los hechos del 54, hubiera debido acabar en el capítulo veinticuatro.

En Britania, el plan de César consistía en conquistar la parte más cercana a la Galia (Kent y, posiblemente, Cornualles). Sin embargo, la expedición se saldó con un nuevo fracaso. Las razones eran variadas: la campaña se había iniciado con mucho retraso, sobre su ejército se había abatido una serie de calamidades y, lo más importante, la estrategia de hostigamiento del jefe enemigo Casivelono acabó por dejarle en una situación comprometida. En los primeros días de septiembre, apenas tres semanas de su llegada, las tropas volvieron a embarcar.

Por si no fuera suficiente este fracaso, durante el invierno estalló una revuelta en torno a los campamentos que César había ubicado en el centro y nordeste de la Galia. El levantamiento obedecía a varios factores: las élites locales impuestas por César estaban pasándose al bando enemigo, muchos pueblos sentían amenazada su propia existencia con la agresiva política de César y, en último lugar aunque no menos importante, los druidas se habían decidido a intervenir, quizá en respuesta a la intromisión de César en suelo britano, centro del culto druídico. El plan estaba bien pensado y podía poner en graves aprietos a las legiones, aisladas unas de otras. César no permite apreciar en su relato con claridad la secuencia cronológica, ya que se ha centrado en la suerte dispar de dos de sus legiones: una legión y media, acampada en territorio de los eburones, fue totalmente exterminada por éstos, bajo el mando de Ambórix; en cambio, la legión estacionada en territorio de los nervios, mandado por Quinto Cicerón, logró resistir hasta su llegada.

Tras esto, el libro se cierra con la victoria de Labieno sobre los tréveros, un broche optimista para concluir un libro plagado de malas noticias. De hecho, tras declararla pacificada, César pasó el invierno en la Galia y se vio en la necesidad de reclutar dos nuevas legiones en el norte de Italia, además de pedir una a Pompeyo, lo que elevó la suma a un total de diez, en torno a cincuenta mil hombres.

ANTOLOGÍA

[1] L. Domitio (et) Ap. Claudio consulibus, discedens ab hibernis Caesar in Italiam, ut quotannis facere consuerat, legatis imperat quos legionibus praefecerat *uti quam plurimas possent hieme naves aedificandas veteresque reficiendas curarent. [...]. Ea quae sunt usui ad armandas naves ex Hispania apportari iubet*. Ipse, conventibus Galliae citeribris peractis, in Illyricum proficiscitur, quod a Pirustis finitimam partem provinciae incursionibus vastari audiebat. Eo cum venisset, civitatibus milites imperat certumque in locum convenire iubet. Qua re nuntiata, Pirustae legatos ad eum mittunt [...]. Accepta oratione eorum, Caesar obsides imperat eosque ad certam diem adduci iubet; nisi ita fecerint, sese bello civitatem persecuturum demonstrat. Eis ad diem adductis, ut imperaverat, arbitros inter civitates dat qui litem aestiment poenamque constituent.

[2] His confectis rebus conventibusque peractis, in citeriorem Galliam revertitur atque inde ad exercitum proficiscitur. Eo cum venisset, circuitis omnibus hibernis, singulari militum studio in summa

omnium rerum inopia circiter sescentas eius generis cuius supra demonstravimus naves et longas XXVIII invenit instructas [...]. Collaudatis militibus atque eis qui negotio praefuerant, *quid fieri velit ostendit* atque omnes ad portum Itium convenire iubet; quo ex portu commodissimum in Britanniam traiectum esse cognoverat, circiter milium passuum XXX a continenti: [...]. Ipse cum legionibus expeditis IV et equitibus DCCC in fines Treverorum proficiscitur, quod hi neque ad concilia veniebant neque imperio parebant *Germanosque Transrhenanos sollicitare dicebantur*.

[3] Haec civitas longe plurimum totius Galliae equitatu valet magnasque habet copias peditum Rhenumque, ut supra demonstravimus, tangit. In ea civitate duo de principatu inter se contendebant, Indutiomarus et Cingetorix; e quibus alter, simul atque de Caesaris legionumque adventu cognitum est, ad eum venit, *se suosque omnes in officio futuros neque ab amicitia populi Romani defecturos confirmavit quaeque in Treveris gererentur ostendit*. At Indutiomarus equitatum peditatumque cogere atque, *iis qui per aetatem in armis esse non poterant in silvam Arduennam abditis*, [...], bellum parare instituit. Sed posteaquam nonnulli principes ex ea civitate, et familiaritate Cingetorigis adducti et adventu nostri exercitus perterriti, ad Caesarem venerunt et de suis privatim rebus ab eo petere coeperunt, [...].

[4] Caesar, [...], Indutiomarum ad se cum ducentis obsidibus venire iussit. His adductis, in eis filio propinquisque eius omnibus, quos nominatim evocaverat, consolatus (est) Indutiomarum hortatusque est uti in officio maneret; [...]. Id factum tulit graviter Indutiomarus, [...].

[5] His rebus constitutis, Caesar ad portum Itium cum legionibus pervenit. Ibi cognoscit LX naves, quae in Meldis factae erant, tempestate reiectas, cursum tenere non potuisse atque eodem unde erant profectae revertisse; reliquas paratas ad navigandum atque omnibus rebus instructas invenit. Eodem equitatus totius Galliae convenit, numero milium quattuor, principesque ex omnibus civitatibus; ex quibus perpauca, quorum in se fidem perspexerat, relinquere in Gallia, reliquos obsidum loco secum ducere decreverat, quod, cum ipse abesset, motum Galliae verebatur.

[6] Erat una cum ceteris Dumnorix Aeduus, de quo ante ab nobis dictum est. Hunc secum habere in primis constituerat, *quod eum cupidum rerum novarum, cupidum imperii, magni animi, magnae inter Gallos auctoritatis (esse) cognoverat*. [...]. Ille omnibus primo precibus petere contendit ut in Gallia relinqueretur, partim quod [...] mare timeret, partim quod religionibus impediri sese diceret. Posteaquam id obstinate sibi negari vidit, omni spe impetrandi adempta, principes Galliae sollicitare [...] hortarique coepit uti in continenti remanerent [...]. Haec a compluribus ad Caesarem deferebantur.

[7] Qua re cognita, Caesar, [...] tandem idoneam nactus tempestatem, milites equitesque conscendere in naves iubet. At, omnium impeditis animis, Dumnorix cum equitibus Haeduorum a castris, insciente Caesare, domum discedere coepit. Qua re nuntiata, Caesar, intermissa profectioe atque omnibus rebus postpositis, magnam partem equitatus ad eum insequendum mittit retrahique imperat; si vim faciat neque pareat, interfici iubet, [...]. Ille enim, revocatus, resistere ac se manu defendere suorumque fidem implorare coepit, saepe clamitans se liberum (esse) [...]. Illi, ut erat

imperatum, circumstant hominem atque interficiunt; at equites Haedui ad Caesarem omnes revertuntur.

[8] His rebus gestis, Labieno in continente cum tribus legionibus et equitum milibus duobus relicto, ut portus tueretur et rem frumentariam provideret [...], ipse cum quinque legionibus et pari numero equitum, quem in continenti reliquerat, ad solis occasum naves solvit et, leni Africo¹ proventus, media circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit, et longius delatus aestu, orta luce, sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum, rursus aestus commutationem secutus, remis contendit ut eam partem insulae caperet, qua optimum esse egressum superiore aestate cognoverat. [...]. Accessum est ad Britanniam omnibus navibus meridiano fere tempore, neque in eo loco hostis est visus; sed, ut postea Caesar ex captivis cognovit, cum magnae manus eo convenissent, multitudine navium perterritae, [...], a litore discesserant ac se in superiora loca abdiderant.

[9] Caesar, exposito exercitu et loco castris idoneo capto, ubi ex captivis cognovit quo in loco hostium copiae consedisent, cohortibus decem ad mare relictis et equitibus trecentis, qui praesidio navibus essent, de tertia vigilia ad hostes contendit [...]. Ipse, noctu progressus milia passuum circiter XII, hostium copias conspicatus est. Illi, equitatu atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore nostros prohibere et proelium committere coeperunt. Repulsi ab equitatu, se in silvas abdiderunt, locum nacti egregie et natura et opere munitum, [...]. At milites legionis septimae, testudine facta et aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt eosque ex silvis expulerunt, paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longius Caesar prosequi vetuit, et quod loci naturam ignorabat, et quod, magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat.

[10] Postridie eius diei mane tripertito milites equitesque in expeditionem misit, ut eos qui fugerant persequerentur. His aliquantum itineris progressis, [...], equites a Quinto Atrio ad Caesarem venerunt, qui nuntiarent superiore nocte, maxima coorta tempestate, prope omnes naves adflictas atque in litore eiectas esse, quod neque anchorae funesque subsisterent, neque nautae gubernatoresque vim tempestatis pati possent; [...].

[11] His rebus cognitis, Caesar legiones equitatumque revocari [...] iubet, ipse ad naves revertitur; [...] ex legionibus fabros deligit et ex continenti alios arcessi iubet [...]. Ipse, etsi res erat multae operae ac laboris, tamen commodissimum esse statuit omnes naves subduci et cum castris una munitione coniungi. In his rebus circiter dies X consumit [...]. Subductis navibus castrisque egregie munitis, easdem copias, quas ante, praesidio navibus reliquit; ipse eodem unde redierat proficiscitur. Eo cum venisset, maiores iam undique in eum locum copiae Britannorum convenerant, summa imperii [...] permissa Cassivellauno [...].

[15] Equites hostium essedarii acriter proelio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt ita, ut nostri omnibus partibus superiores fuerint atque eos in silvas collesque compulerint; [...]. At illi, intermisso spatio, imprudentibus nostris atque occupatis in munitione castrorum, subito se ex silvis eiecerunt, impetuque in eos facto qui erant in statione pro castris collocati, acriter pugnaverunt, [...].

¹ Viento ábrego.

Eo die Quintus Laberius Durus, tribunus militum, interficitur. Illi, pluribus submissis cohortibus, repelluntur.

[16] Toto hoc in genere pugnae, cum sub oculis omnium ac pro castris dimicaretur, intellectum est nostros propter gravitatem armorum, *quod neque insequi cedentes possent neque ab signis discedere auderent*, minus aptos esse ad huius generis hostem; [...].

[17] Postero die procul a castris hostes in collibus constiterunt rarique se ostendere et lenius quam pridie nostros equites proelio lacesere coeperunt. Sed meridie, cum Caesar pabulandi causa tres legiones atque omnem equitatum cum Gaio Trebonio legato misisset, repente ex omnibus partibus ad pabulatores advolaverunt, [...]. Nostri, acriter in eos impetu facto, repulerunt neque finem sequendi fecerunt; quo subsidio confisi equites, cum post se legiones viderent, praecipites hostes egerunt, *magnoque eorum numero interfecto, neque sui colligendi neque consistendi aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt*. Ex hac fuga protinus auxilia, quae undique convenerant, discesserunt, neque post id tempus umquam nobiscum summis copiis hostes contenderunt.

[18] Caesar, cognito consilio eorum, ad flumen Tamesim in fines Cassivellauni exercitum duxit; quod flumen uno omnino loco pedibus, atque hoc aegre, transiri potest. Eo cum venisset, animadvertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas. Ripa autem erat acutis sudibus praefixis munita, eiusdemque generis sub aqua defixae sudes flumine tegebantur. His rebus cognitis a captivis perfugisque, Caesar, praemisso equitatu, confestim legiones subsequi iussit. [...].

[19] Cassivellaunus, ut supra demonstravimus, omni deposita spe contentionis, dimissis amplioribus copiis, milibus circiter quattuor essedariorum relictis, itinera nostra servabat paulumque ex via excedebat locisque impeditis ac silvestribus sese occultabat, atque [...] pecora atque homines ex agris in silvas compellebat et, cum equitatus noster liberius praedandi vastandique causa se in agros eiecerat, omnibus viis semitisque essedarios ex silvis emittebat et magno cum periculo nostrorum equitum cum eis confligebat [...].

[20] Interim Trinobantes, prope firmissima earum regionum civitas, ex qua Mandubracius adolescens Caesaris fidem secutus ad eum in continentem venerat, cuius pater in ea civitate regnum obtinuerat interfectusque erat a Cassivellauno, [...], legatos ad Caesarem mittunt pollicenturque sese ei dedituros atque imperata facturos; petunt ut Mandubracium ab iniuria Cassivellauni defendat atque in civitatem mittat, qui praesit imperiumque obtineat. His Caesar imperat obsides quadraginta frumentumque exercitui Mandubraciumque ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt, obsides [...] frumentumque miserunt.

[21] Trinobantibus defensis adque ab omni militum iniuria prohibitis, Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci et Cassi, legationibus missis, sese Caesari dedunt. Ab his cognoscit non longe ex eo loco oppidum Cassivellauni abesse, silvis paludibusque munitum, quo satis magnus hominum pecorisque numerus convenerit. [...]. Eo proficiscitur cum legionibus: locum reperit egregie natura atque opere munitum; tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit. Hostes, paulisper

morati, militum nostrorum impetum non tulerunt seseque ex alia parte oppidi eiecerunt. Magnus ibi numerus pecoris repertus est, multique in fuga sunt comprehensi atque interfecti.

[22] Dum haec in his locis geruntur, Cassivellaunus ad Cantium, quod esse ad mare supra demonstravimus, [...] nuntios mittit atque eis imperat uti, coactis omnibus copiis, castra navalia de improviso adorientur atque oppugnent. Ei cum ad castra venissent, nostri, eruptione facta, multis eorum interfectis, capto etiam nobili duce Lugotorige, suos incolumes reduxerunt. Cassivellaunus, hoc proelio nuntiato, tot detrimentis acceptis, vastatis finibus, maxime etiam permotus defectione civitatum, legatos per Atrebatem Commium de deditioe ad Caesarem mittit. Caesar, cum constituisset hiemare in continenti propter repentinos Galliae motus, neque multum aestatis superesset, [...] obsides imperat *et quid in annos singulos vectigalis populo Romano Britannia penderet constituit; interdicit atque imperat Cassivellauno, ne Mandubraccio neu Trinobantibus noceat.*

[23] Obsidibus acceptis, exercitum reducit ad mare, naves invenit refectas. His deductis, quod et captivorum magnum numerum habebat, et nonnullae naves tempestate deperierant, duobus com meatibus exercitum reportare instituit. [...].

[24] Subductis navibus concilioque Gallorum Samarobriuae peracto, [...] exercitum in hibernis collocare legionesque in plures civitates distribuere constituit. [...]. Ipse interea, quoad legiones collocatas munitaque hiberna cognovisset, in Gallia morari constituit.

[25] Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius, cuius maiores in sua civitate regnum obtinuerant. Huic Caesar pro eius virtute atque in se benevolentia, quod in omnibus bellis singulari eius opera fuerat usus, maiorum locum restituerat. Inimici eum, tertium iam annum regnantem, interfecerunt. Defertur ea res ad Caesarem. Ille veritus ne civitas eorum impulsu deficeret, Lucium Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet ibique hiemare [...]. Interim ab omnibus legatis, quibus legiones tradiderat, certior factus est in hiberna perventum (esse) locumque hibernis esse munitum.

[26] Diebus circiter quindecim, [...], initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige et Catuvolco; qui, [...], Indutiomari Treveri nuntiis impulsu, suos concitaverunt subitoque, oppressis lignatoribus, magna manu ad castra oppugnatum venerunt. Cum celeriter nostri arma cepissent vallumque adscendissent atque, una ex parte Hispanis equitibus emissis, equestri proelio superiores fuissent, desperata re, hostes suos ab oppugnatione reduxerunt. Tum suo more conclamaverunt, uti aliqui ex nostris ad colloquium prodiret: [...].

[27] Mittitur ad eos colloquendi causa Gaius Arpineius, eques Romanus, familiaris Quinti Tituri, et Quintus Iunius ex Hispania quidam, qui iam ante missu Caesaris ad Ambiorigem ventitare consueverat; [...].

[37] [...]. Tum vero suo more victoriam conclamant atque ululatum tollunt, impetuque in nostros facto, ordines perturbant. Ibi Lucius Cotta pugnans interficitur cum maxima parte militum. Reliqui se in castra recipiunt, unde erant egressi. Ex quibus Lucius Petrosidius aquifer, cum magna multitudine hostium premeretur, aquilam intra vallum proiecit; ipse pro castris fortissime pugnans occiditur. Illi aegre ad noctem oppugnationem sustinent; noctu ad unum omnes, desperata salute, se ipsi interficiunt. Pauci ex proelio lapsi, incertis itineribus per silvas ad Titum Labienum legatum in hiberna perveniunt atque eum de rebus gestis certiore faciant.

[38] Hac victoria sublatus Ambiorix statim cum equitatu in Atuaticos, qui erant eius regno finitimi, proficiscitur; neque noctem neque diem intermittit peditatumque sese subsequi iubet. Re demonstrata Atuaticisque concitatis, postero die in Nervios pervenit hortaturque, ne sui in perpetuum liberandi atque ulciscendi Romanos pro eis iniuriis quas acceperint occasionem dimittant: interfectos esse legatos duos magnamque partem exercitus interisse demonstrat [...]. Facile hac oratione Nervii persuadet.

[39] [...] His circumventis, magna manu Eburones, Nervii, Aduatuci atque horum omnium socii et clientes legionem oppugnare incipiunt. Nostri celeriter ad arma concurrunt, vallum conscendunt. Aegre is dies sustentatur, quod omnem spem hostes in celeritate ponebant atque hanc victoriam adepti in perpetuum se fore victores confidebant.

[40] Mittuntur ad Caesarem confestim ab Cicerone litterae magnis propositis praemiis, si pertulissent: obsessis omnibus viis missi intercipiuntur. Noctu ex materia, quam munitionis causa comportaverant, turres admodum CXX excitantur incredibili celeritate; *quae deesse operi videbantur, perficiuntur*. Hostes postero die multo maioribus coactis copiis castra oppugnant, fossam complent. Eadem ratione, qua pridie, ab nostris resistitur. Hoc idem reliquis diebus deinceps fit. [...].

[42] Ab hac spe repulsi Nervii vallo pedum IX et fossa pedum XV hiberna cingunt. [...]. Reliquis diebus turres ad altitudinem valli, falces testudinesque, quas idem captivi docuerant, parare ac facere coeperunt.

[45] Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnationis, et maxime quod, magna parte militum confecta vulneribus, res ad paucitatem defensorum pervenerat, tanto crebriores litterae nuntiique ad Caesarem mittebantur; [...].

[46] Caesar, acceptis litteris hora circiter undecima, diei statim nuntium in Bellovacos ad M. Crassum quaestorem mittit, cuius hiberna aberant ab eo milia passuum XXV; iubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad se venire. Exit cum nuntio Crassus. Alterum ad Gaium Fabium legatum mittit, ut in Atrebatium fines legionem adducat, qua sibi iter faciendum sciebat. Scribit Labieno, si rei publicae commodo facere posset, cum legione ad fines Nerviorum veniat. Reliquam partem exercitus, quod paulo aberat longius, non putat expectandam; equites circiter quadringentos ex proximis hibernis colligit.

[48] Caesar, consilio eius probato, [...] venit magnis itineribus in Nerviorum fines. Ibi ex captivis cognoscit, quae apud Ciceronem gerantur, quantoque in periculo res sit. Tum cuidam ex equitibus

Gallis magnis praemiis persuadet uti ad Ciceronem epistolam deferat. Hanc Graecis conscriptam litteris mittit, ne, intercepta epistola, nostra ab hostibus consilia cognoscantur. Si adire non possit, monet ut tragulam cum epistola ad ammentum deligata intra munitionem castrorum abiciat. In litteris scribit se cum legionibus profectum, celeriter adfore; hortatur ut pristinam virtutem retineat. Gallus periculum veritus, ut erat praeceptum, tragulam mittit. Haec casu ad turrim adhaesit, neque ab nostris biduo animadversa tertio die a quodam milite conspicitur, dempta ad Ciceronem defertur. Ille epistolam in conventu militum recitat maximaque omnes laetitia adficit. Tum fumi incendiorum procul videbantur; quae res omnem dubitationem adventus legionum expulit.

[49] Galli, re cognita per exploratores, obsidionem relinquunt, ad Caesarem omnibus copiis contendunt. Hae erant armatae circiter milia LX. Cicero, data facultate ab eodem Verticone, quem supra demonstravimus, Gallum reperit qui litteras ad Caesarem deferat; hunc admonet, iter caute diligenterque faciat: perscribit in litteris hostes ab se discessisse omnemque ad eum multitudinem convertisse. Quibus litteris circiter media nocte adlatis, Caesar suos facit certiores eosque ad dimicandum animo confirmat. Postero die luce prima movet castra et circiter milia passuum quattuor progressus, trans vallem et rivum multitudinem hostium conspicitur. [...].

[50] Eo die, parvulis equestribus proeliis ad aquam factis, utriusque sese suo loco continent: Galli, quod ampliores copias, quae nondum convenerant, expectabant; Caesar, si forte timoris simulatione hostes in suum locum elicere posset, ut citra vallem pro castris proelio contenderet, si id efficere non posset, ut, exploratis itineribus, minore cum periculo vallem rivumque transiret. Prima luce hostium equitatus ad castra accedit proeliumque cum nostris equitibus committit. Caesar consulto equites cedere seque in castra recipere iubet; simul ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri portasque obstrui [...] iubet.

[51] Quibus omnibus rebus hostes invitati copias traducunt aciemque iniquo loco constituunt; nostris vero etiam de vallo deductis, propius accedunt et tela intra munitionem ex omnibus partibus coniciunt [...]. Tum Caesar, omnibus portis eruptione facta equitatuque emisso, celeriter hostes in fugam dat, sic uti omnino pugnandi causa resisteret nemo, magnumque ex eis numerum occidit atque omnes armis exiit.

[53] Interim ad Labienum per Remos incredibili celeritate de victoria Caesaris fama perfertur, ut, cum ab hibernis Ciceronis milia passuum abesset circiter LX eoque post horam nonam diei Caesar pervenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oreretur; *quo clamore significatio victoriae gratulatioque ab Remis Labieno fieret*. Hac fama ad Treveros perlata, Indutiomarus, qui postero die castra Labieni oppugnare decreverat, noctu profugit copiasque omnes in Treveros reducit. Caesar Fabium cum sua legione remittit in hiberna, ipse cum tribus legionibus circum Samarobrivam trinis hibernis hiemare constituit et, quod tanti motus Galliae exstiterant, totam hiemem ipse ad exercitum manere decrevit. [...].

[57] Labienus, cum et loci natura et manu munitissimis castris sese teneret, de suo ac legionis periculo nihil timebat; ne *quam occasionem rei bene gerendae dimitteret cogitabat*. Itaque, a Cingetorige atque eius propinquis oratione Indutiomari cognita quam in concilio habuerat, nuntios

mittit ad finitimas civitates equitesque undique evocat: *his certum diem conveniendi dicit*. Interim prope cotidie cum omni equitatu Indutiomarus sub castris eius vagabatur, alias ut situm castrorum cognosceret, alias colloquendi aut territandi causa; equites plerumque omnes tela intra vallum coniciebant. Labienus suos intra munitionem continebat [...].

[58] [...] ex consuetudine cotidiana Indutiomarus ad castra accedit atque ibi magnam partem diei consumit; equites tela coniciunt et magna cum contumelia verborum nostros ad pugnam evocant. Nullo ab nostris dato responso, ubi visum est, sub vesperum dispersi ac dissipati discedunt. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit; [...]; summittit cohortes equitibus subsidio. Comprobat hominis consilium Fortuna, et cum unum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Indutiomarus interficitur, caputque eius refertur in castra; redeuntes equites quos possunt consectantur atque occidunt. Hac re cognita, omnes copiae Eburorum et Nerviorum quae convenerant discedunt, pauloque habuit post id factum Caesar quietiorem Galliam.

J. MORENTE